



Albertus ille ex illustri familia comitū de Hochēberg & Haygerloch natus est, qui in Sueuia & Alsatia potentissimi fuerūt . Itaq; ab ijs in omnis generis uirtutibus educatus, suo tempore apud omnes magnam existimationem nactus est. Erat enim insigni corporis & animi fortitudine præditus, ita ut Sueuiæ protector, & Romani Imperij sustētaculum diceretur. Is cum parentibus in comitatu successisset, Rhodolpho Habsburgensi, qui postea Cæsar electus fuit, sororem Annam uxorem dedit, atq; dotis nomine Hugeschouense dominium in Alsatia obtulit. Itaq; clarissimi hi comites affinitate iuncti, eo tēpore cum anno 1270 in

Imperio interregnū ellet, suas regiones magna dexteritate defenderunt, atq; multa præclara facinora perpetrarunt. Tandem uerò Albertus pro suo ex sorore nepote Alberto pugnans, in suo comitatu hostes Bavaros aggressus, à suis militibus relinquitur. Ipse uerò pugnando fessus diu hosti restitit, atq; tandem multitudine uictus occubuit. Reliquit is filium Rhodolphum, qui comes in Ratenburg, Haygerloch, & Hochenburg dictus, inter Sueuos magnam autoritatem obtinuit, ita ut comitibus Vuirtenbergensibus & alijs uicinis formidolosus esset.

M. Albert. Argent.